

virtualiter princeps spiritualium ut concedunt; ergo per ipsam presidet temporalibus. Et confirmatur, quia quodcumque aliquis per aliquam auctoritatem presidet alicui principatui, verius presidet ille, in quo est perfectius et melius talis auctoritas; set auctoritas imperialis melius est in principe spiritualium quia virtualiter et supereminenter quam in principe temporalium, in quo est formaliter tantum^{a)}, et melius est virtualiter tale quam formaliter^{a)} tale. Ergo princeps spiritualium melius presidet temporalibus quam princeps temporalium.

Secunda via est cause materialis, circa quam versatur uterque principatus, quia principatus spiritualium versatur circa relationem hominum quantum ad superiorem portionem rationis, que est circa spiritualia, que sunt eterna, sicut docet beatus Augustinus 14. de trinitate¹⁷⁾; principatus vero temporalis versatur circa relationem hominum quantum ad inferiorem portionem rationis, que est circa temporalia, ut habetur ex eodem^{b)} libro^{b)} 14. de trinitate. Et tunc arguo^{c)} sic: quodcumque sunt aliqui duo principatus, quorum unus secundum se totum subicitur alteri, ille qui principatur [in] inferiori, debet subici ei, qui principatur in superiori, quia sicut principatus ad principatum ita princeps ad principem. Ista regula confirmatur primo in supernaturalibus, ubi quia principatus ierarchie celestis subicitur principatui ierarchie super-celestis, oportet ut ierarcha, qui est in ierarchia celesti, subiciatur ierarche^{d)} ierarchie supercelestis^{e)} secundum deductionem beati Dyonisii de divinis nominibus. Secundo declaratur in naturalibus, ubi tota multitudo hominum naturaliter principatur toti multitudini brutorum; ideo si esset aliquis princeps in genere brutorum, ut vulgo dicitur de leone, ille naturaliter subesset^{f)} seu^{g)} subiceretur^{g)} principi hominum. Tertio declaratur in monasticis¹⁸⁾ et hoc directe^{h)} ad propositum, quia totus principatus virium anime sensitive est subiectus totiⁱ⁾ principatui virium anime intellective, et ideo si appetitus sensitivus principatur in

^{a)} tantum — formaliter fehlt P 2. ^{b)} statt eodem libro: eadem P 2.

^{c)} so P 2 ausgeschrieben; P 1 in Abkürzung.

^{d)} principatui P 1.

^{e)} superioris P 1. ^{f)} subisset P 1.

^{g)} fehlt P 2. ^{h)} dahinter et P 1.

ⁱ⁾ fehlt P 1.

¹⁷⁾ Vielmehr De trin. 12, 1—3 Migne PL. 42, 1002 f. An der von Lapparent S. 63 Anm. 2 angegebenen Stelle 14, 2 Migne 42, 1037 f. findet sich nichts Entsprechendes; auch verweist Mayronius an anderer Stelle, wo er das gleiche Zitat anführt (Lapparent S. 78), selber auf De trin. 12. Vgl. auch De trin. 3, 4 Migne 873 und 6, 8 Migne 929 f.

¹⁸⁾ Hier im Sinne: den Einzelnen betreffend; vgl. L. Schütz, Thomas-Lexicon² (1957) S. 492.